



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

Divi Ioannis Damasceni Vita, Per Ioannem Patriarcham Hierosolymitanvm,
Iacobo Billio Interprete.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](#)



DIVI IOANNIS DAMASCENI VITA,

PER IOANNEM PATRIARCHAM HIERONIMUM,
SOLYMITANVM,

IACOBO BILLIO INTERPRETE.



ST HOC IN HOMINVM more atque instituto positum, ut iis, qui diuinam imaginem ab omni labe ac macula puram tenuerunt, atque in prima integritate & elegantia cōseruarunt, aut etiam obliteratam eam vel sordibus contaminatam renouarunt, honoris causa diuinias ipsorum formas & effigies confiant. Quin ij quoque, qui liberalioris erga eos venerationis specimen exhibent, pro diuitiarum suarum amplitudine, luculentiores etiā ac splendidiores materias adhibent, iisque formas ipsorum insculpunt: quod videlicet hac ratione maiore erga sanctos viros honore defungi se existiment. Cūm itaque in eorum formis exprimendis ita magnificos ac splendidos se p̄rbeant, committendūmne est, vt in rerum ab iis gestarum commemoratione contemptas atque ornatu & elegantia vacuas orationes relinquamus? Minime sanè. Nam rusticoribus quidem danda est venia, si quemadmodum possunt, orationes rudi atque inclaborato stilo prosequuntur, cūm eorum, qui Deo placuerunt, res gestas exponunt. At qui eloquentiē operam nauant, iis ignosci minime debet, si sanctorū vitas neglexerint, easque tumultuaria duntaxat opera conscriferint: pr̄sertim si virorum eorum vitā litteris complectantur, qui per omnem vitā cursum libris inuigilarunt, atque doctrinē adiumento, tum mentem ab inficitia & obliuione, tum animam ab omni turbulentio motu repurgarunt, quique huic terrae ambitui ornamentum attulerunt, ac mentem omnem per libros à se elaboratos illustrarunt, non externae duntaxat sapientiae gratia pollentes, verūm etiam Paracleti lumen copiose atque affluenter emitentes. Quorum in numero, & quidem inter primos, censendus est magnus ille ac celebris Ioannes, qui à Damasco patria sua cognomentum traxit. Hic enim non exiguum Ecclesiastice firmamenti fidus exitit, verūm maximum & splendidissimum, non in hæsis solūm vbiq̄e diffusa tenebris lucens, sed etiam omnem pestiferæ doctrinæ noctem sermonum suorum claritate discutiens. Nam nox quidem passim toto orbe fusa erat præclaras venerandarum Imaginum formas obscurans: ac profunda quædam caligo grassabatur. Atque is, qui eam diffundebat & afferebat, non plebeius quispiam homo erat, vt etiam in aliqua duntaxat orbis parte malum disseminaret, verūm in manu, vt ita loquar, orbis terrarum fines tenebat, vt qui scilicet Romani imperij sceptro potiretur. Quo etiam efficiebatur, vt magno animi ardore quoquierum ferretur, atque ingenti impetu venerandas Imagines deleret, eōlque, à quibus ille colerentur, partim (vt erat non modò nomine, sed etiam animo ac fententia leo) deuoraret, leonis nimis rūm ritu rapiens & rugiens, partim rugitu suo aliò atque aliò dispergeret, ac subterraneis recessibus seculare

Iconomachorum hab. refis.

Leonicum Iauricum intelligit.

Psal. 11.

D. IOAN. DAMASCENI VITA.

- A cultare cogeret, nūlāntque permulti cum leonibus pōtiūs & draconibus habitate, quām cum ipso atque ipsius asseclis commorari. Alij autem mētu perterriti, ad longinquis orbis partes cōtendebant (Leo enim rugiet: & quis non timebit?) *Amos 1.*
atque ab ipso, perinde atque à colubri facie, profugierantur & fūste, nomen à gratia consecutus, ac spirituali gratia perfusus, iracundia aduersus solum serpētem feruens (nimis ut iracundia zeli ac virtutis nomen obtineret) non ē Thracia, quam tum incolebat, ad Sarmatas, vt saluti suā consuleret, cucurrit, neque ex Byzantina vrbe ad Herculeas columnas fuga se contulit, nec rursus ē templis ob Leonis huiusc rugitum in solitudinem concessit, verūm Damasci prius, deinde in Palestina degens, atque in solitario loco religiosā vīcā institutum colens, aduersus Leonem fortissimē dimicabat. Quamuis enim ingeāti locorum interuallo fortissimus hic meus athleta ab eo dissipatus esset, libris tamen Paracleti igne fabricatis, ac itali vnda obduratis, tanquam triplici lancea, ipsum traiiciebat. *V. Reg. 18.*
- B rūm hæc suo loco fusiūs oratio nostra declarabit. Aequumne igitur fuerit tanti viri vitam crassè ac rusticè conditam, linguaque tantum & litteris Arabicis comprehensam, contemptim relinquere? Minime profectō. Quocirca exponendum est ē qua quāmque nobili radice viridissima hæc planta prodierit, ac quānam patria eum edidisse gloriatur. Damascus autem hæc est. Vt enim ipsa de Paulo gloriat, quod videlicet prima coelipetam illum, cūm impietatem abiecisset, atque ex Christi inimico Christi amicus effectus fuisset, conspexerit: ad eundem modum ob hunc quoque virum honestē atque grauiter gloriatur, quod scilicet non aliunde venerit, aut ex alia quadam religione ad rectam migrauerit, verūm eum ab ipsam radice protulerit, magisque etiam in pietate, quam in corporeā substantia ei obstetricis operam nauauerit, doctrināque eum aluerit. Proinde, inquā, ob germe suum magnificè fessē effert, & exultat, maiorēmque hinc voluptatem capit, quām ex reliquis omnibus ornamenti, quæ ipsi ad splendorem gloriāmque suppetunt, siue anni partium temperiem dixeris, siue aquarum dulcium ac limpidarum profluvia, quibus multis alluitur. Nec verò optimorum fructuum copia hanc vrbem vsqueadē effert & attollit, vt quod ex ea pulchra hæc & nobilis arbor prodierit, quæ secus decursus aquarum enutrita est, ac tempestiuos fructus *Psal. 1.*
- C edidit. Cuius fructus apud nos perpetuō recentes quodāmodō sunt, ac tum aspergi pulchri, tum gulty suaves, ac denique eiusmodi, vt eos, à quibus attinguntur ac degustantur, non modō voluptate afficiant, verūm etiam edentem saginent & augeant, atque in virum spiritu perfectum euehant, numerisque omnibus absoluant. Ad hunc scilicet modum Damascena ciuitas ob hunc suum foētum in maiore gloria est, quām ob alia omnia bona & oblectamenta, quorum copia abundant. Hæc igitur ciuitas est, quæ virum hunc tulit. Maiores autem ille pios viros habuit, quiq̄e soli pietatis florem, atque cognitionis Christi odorem, inter medias spinas conseruarunt. Nam hi soli Christianum nomen, perinde atque præclarum quandam nec ab ullo extorquendam hæreditatem, ita retinuerunt, vt ex quo
- D tempore Agarenī vrbem imperio suo ac ditioni subiecerunt, orthodoxam doctrinam nullo modo labefactarint. Quo etiam factum est, vt insignes eos ac celebres inter medias impiorum cateruas virtus reddiderit: vt potè quam hostes quoque ipsi venerationi habeant. Vel potiūs, quemadmodum Deus Danielem apud Assyrios ob eam, cuius specimen ediderat, pietatem, atque item Iosephum in Ægypto, gloria affectit (horum enim vtrumque, tametsi alioqui caput, procuratorem ac moderatorem & dominum inter exterios & hostes fecit:) eundem in modum hīc quoque Ioannis maiores publicorum negotiorum administratores inter ipsos Saracenos constituit, atque hīc etiam pīj viri captivi, iis, à quibus in captiuitatem redacti fuerant, imperarunt. O ingentia Dei miracula! o insignia prodigia! Nihil virute sublimius est, nihil pietate præstantius & excelsius. Ut enim lignum in monte, vel, si rectius loquendum est, vt lucerna in nocte, & vt semen in Israēl, ac denique vt scintilla in cinere, sic Ioannis maiores Damasci re-
- Damascenū parentes.*
- Virtus hostibus quoque venerationi est.*
- Dan. 3.*
- Gen. 41.*

D. IOANNA DAMASCENI

licti sunt, ut præclararam hanc facem proferrent, ea autem omnibus orbis terrarum finibus lucem afferret. Huiusmodi videlicet ei, quem laudandum suscepimus, maiores extiterunt. Pater autem, ut ex hac bona radice ortus, pietate, ceterisque virtutibus parentis modo rurare contendens, maiorem quoque Dei amorem præse tulus. Consentaneum enim erat, ut viro tam claro, qui que ad summam usque virtutis arcem peruenturus erat, is, quem propinquiorem ortus fui authore in habiturus erat, progenitores quoque suos splendore anteiret: ut quemadmodum ex continuato quodam progressu recta quadam & composita ratione in altu ascensus contingenter: adeo ut res magni atque insignis huius viri diuina prouidentia ita gubernari viderentur, quemadmodum in Ioanne quoque Baptista contigit. Nam quoniam futurum erat, ut superioribus omnibus Prophetis clarius eluceret, atque mysterium omni sacerdotio magius, hoc est Domini mei baptismum, operatur, idcirco diuina prouidentia res ita comparata est, ut non è plebeis infimæq; conditionis paréntibus, sed ex sacerdotali tribu prodiret, atque à Propheta gignetur. Eodem modo hic quoque diuinitus ita prouisum est, ut Ioanni pater exi steret vir cum primis piis, atque humanitate præditus. Nam cum, tum ob eximiā virtutem, tum ob reliquum vitæ splendorem, amplissimæque opes, quibus præ ditus erat, publicorum negotiorum cura & administratio per omnem regionem ei demandata fuisset, ipse non in comedationes ac perpotationes, & superuac neas impensis diuinitus abutebatur, verum quicquid, tam in auro, quam in aliis mobiliis materiis, facultatum habebat, id totum Christianis captiuis redimendis impendebat. Reliqua autem immobilia bona (multa autem in Iudea & Palæstina habebat) redemptis Christianis, qui in illis locis degere animum induxerant, ad refocillationem, vitæque, quantum satis erat, subsidium impertiebat. Aliis autem libero lumine ac pede, quod vellent, se se conferre permittebat. Tanta scilicet virtute atque humanitate vir ille pollebat. Nam cum multa haberet, perinde erat, ac si nihil haberet: ut qui noctu atq; interdiu facultates suas Deo effunderet. Hac, non dicam hospitalitate, ut Abraham, sed humanitate prædictus cum esset, premij loco admirandum partum accipit, si non ex promissione, at certè ex diuina prænotione ac præfinitione. Prænouit siquidem Deus, qualis Ioannes futurus esset: eumque ex hoc viro procreandum esse præfiniuit: quod videlicet pro ea humanitate, quam in eos, qui libertatem cum horrenda captiuitate commutarant, exercere consueuerat, hoc præmij referret. Igitur ei præclarus hic filius nascitur: eumque tenero adhuc corpuseculo per spiritualis matris regenerationem lucis filium efficit, rem videlicet faciens tum temporis haud admodum facilem, quamque inter medias illas gentes multi vix auderent. Deinde in eam de puero curam incubuit, non ut ille desultorios equos regere ac moderari, hastam commodè vibrare, aut arcu sagittam exactè emittere, aut cum feris pugnare, ac naturalē mansuetudinem in belluina crudelitatem immutare disceret, quemadmodum videlicet multis hinc euenire solet, quod iracundia subinde perturbentur, & furiosum atque immanem quendam in modum subsultent. Ac propterea alius quispiam Chiron in montibus educatus, ceruorumque medulla discipulum alens, à Ioannis patre haudquaquam quererebatur: verum eiusmodi quidam vir inuestigabatur, qui omni eruditiois genere excultus esset, atque ex animi corde bonum verbum eructaret, quod nimirum filium quoque suum huiusmodi cibis & epulis ale ret. Quam quidem sacram cupiditatem Deus ipsi expleuit: inuentusque à quærente est is quem quererebat. Hoc porro modo id quod quererebatur, inuenitum est. Damasceni barbari, cum in mari excursiones facerent (nam id illis familiare erat) multos interdum Christianos abripiebant, atque in mare cum nauibus descendentes quamplurimos in captiuitatem trahebant, abductosque in ciuitatem, partim vñales proponebant, partim gladio trucidabant. Quorum in numero vir quidam fuit, monasticum habitu gerens, ex Italia ortus, venusta facie, venustiori autem animo, Cosmas nomine. Atque in ipsis ore grauitas quedam elucebat,

Luc. 1.

*Patri D.
Ioannis Da
masceni pia
liberalitas.*

*Damasceni
ortus, ac ba
ptismus.*

Psalm. 44.

VITA

- A** internum animi statum declarans. Ad cuius pedes se se abiebant, qui ad necem trahebantur: ab eo que precibus contendebant, ut Deum sibi propitium redderet, scelerumque veniam ab ipsius humanitate impetraret. Barbari igitur perspecta reverentia, quam qui obtruncandi erant, ei exhibebant, ex eo ictuabantur, quanam in mundo dignitate, & quonam inter Christianos splendore praeditus esset. Respondens autem ille, ait: Nullam sacerdotij dignitatem gero, verum inutilis quipiam monachus sum, Philosophia excultus, non tantum nostrate ac Deo grata, sed ea etiam, quam externi sapientes considerunt. Quibus verbis habitis, obortis lachrimis oculos impleuit. Cum autem Ioannis pater haud procul staret, eumque lachrimis ita perfusum cerneret, ad eum accessit, ut ipsius calamitati consolationem adhiceret. Ad eumque his verbis vesus est. Quid tandem cauſe est, homo Dei, quamobrem tu mundi iacturam deploras, cui iam pridem nuntium remisiſti, mortuusque es, vt ex habitu perspicio? Respondit monachus: Huius vitae iacturam haudquaquam deploro, nam ego, vt abs te dictum est, mundo mortuus sum. Hoc autem me discruciat, quod omnem humanam doctrinam consecutatus sum. Orbem enim illum disciplinarum tanquam fundamentum ieci. Rhetorica linguam expoliui: Dialecticis methodis ac demonstrationibus eruditus sum: moralē Philosophiam, quam Stagirites & Aristonis filius tradiderunt, colui: naturalium rerum contemplationem, quantum homini satis est, operam dedi: Arithmeticā rationes perdidici: Geometriam ad summum usque teneo:
- C** Musicā concentus & proportiones consecutus sum. Nec verò coelestium corporum motum ac syderum conuersiōnēm prætermisi: vt ex rerum conditarum magnitudine ac pulchritudine, pro ratione mē harum rerum cognitionis, ad conditoris contemplationem peruenirem. Nam qui certiorem rerum conditum cognitionem percepit, certius quoque eum, à quo illa conditae sunt, cognoscit, maiorēque ipsius admiratione afficitur. Post autem ad Theologiam, tam à Græcis traditā, quām à Theologis nostris rectissimè explanatā, mysteria transfilij. His igitur impletus, utilitatem eam, quā hinc percipitur, nemini adhuc impertui, nec per Philosophiam filium parenti similem procreauit. Nam quemadmodum multi, quod genus suum propagare queant, naturales filios ferere cūpiunt: sic qui Philosophia operam dederunt, per Philosophiam & eruditio-
- D** nem filios gignere concupiscunt, vt aureum Philosophia genus in mundo perpetuò conferuetur. Huius porrò admirandi partus authiores immortalem gloriam adipiscuntur. Ac præterea hoc bonitatis proprium est, bona ea, quibus abundat, aliis etiam impertire. Nam qui non ita animo comparatus, nec ea voluntate præditus est, haudquaquam in bono est, verum in vitio hæret, ut potè superbia & inuidentia plenus: quibus sit, vt bonum, quod Dei beneficio consecutus est, cum aliis communicare minimè in animum inducat. Eaque de causa id quod habere videtur, ipsi eripitur, quemadmodum seruo illi contigit, qui acceptum talentum nummulariis minimè commisit. Ego autem bonam partem elegi, atque in primis vellem mihi liceret doctrinam eam, quā mihi suppetit, aliis elargiri. Quoniam autem id quod cupiebam (hoc est vt in fidelium illorum.
- E** seruorum, qui accepta talenta alii commodando, ea conduplicarunt, numerum referrer) minimè consecutus sum, nec per Philosophiam filium ullum in lucem edidi, verum haud secus ac quispiā liberis carens ac miser, vti cernis, ē vita exeo, idcirco lachrimis opprimor, grauique mœstitia obruor. Hanc orationem cū audiisset is, qui huiusmodi thesauri desiderio flagrabat, respondit: Missos fac hos luctus, vir beate, animūque tuum leua. Fortasse enim petitiones cordis tui dabit tibi Dominus. Hoc sermone habitio Ioannis pater, quām maxima celeritate potuit, ad Saracenorum principem cucurrit, ipsiusque pedibus aduolutus, probum illum & ornatum virum Cosmam ab eo postulauit, neque eo quod postulabat excidit, verum munus ingentis sanè pretij accepit: eumque in ædes suas abductum consolabatur, ac diurnis ærumnis confectum reficiebat & recreabat.

Rerū conditariū cognitionis māiorē conditorū admirationē

Pulchritudinē multitudinē

Matt. 25.

Psal. 16.

D. IOANN. DAMASCENI

Posteaque hæc verba adiunxit: Non iam liber duntaxat es: verum etiam domus
meæ socium atque æquæ ac me, dominum te constituo, meæque & lætitię omnis
& afflictionis confortem. Vnum autem hoc abs te peto, nèpē ut naturalem hunc
meum filium Ioani, atque item hunc alterum, cui idem ac tibi nomen est,
quemque ex vrbe Hierosolymitana ortum, ac tenera adhuc ætate parentibus or-
batum, in spiritualem filium adoptavi, omnī tam extera, quam ea, qua per Spi-
ritus sancti gratiam, iij qui digni sunt, imbuuntur, eruditione ac Philosophia, cu-
jus scientiam tenes, per diligenter erudas. Philosophus autem hac oratione audi-
ta, equo statim fratis vinculis per campum currenti, aut ceruo cuiquam siti labo-
ranti, atque ad aquarum fontes missò, similis erat. Diceret eum in ista Midæ cu-
iusdam in magnos atri thesauros incidisse. Hac erga istud negotium animi alacri-
tate preditus, adolescentes suscipit, ipsisque magister designatur. Ac Ioannes qui-
dem naturæ præstantia, & animi studio atque industria, velut pennis quibusdam
instructus, aquilæ in morem per cœlum volitabat. Cosmas autem ipsius spiritua-
lis frater & commilito, non assimilis erat naui passis velis per aquas alarum remi-
gio currenti, secundo nimirū vento eam à puppi perlante. Ita, tum ingenij ce-
leritate, tum studij atque industria contentione, brevi ab ipsis collectu est, quic-
quid & in Grammatica, & in Dialectica, ijsque artibus, quæ demonstratione ni-
tuntur, maximè expectendum est. Per moralis autem Philosophiæ disciplinam
non modò id agebant, vt mentem exornarent, sed etiam ut animæ perturbatio-
nes ac tumultus comprimerent. Atque item in naturalium rerum contemplatio-
nem immotam oculorum aciem aquilæ ritu desigebant. Quin Arithmeticas pro-
portiones non minori ingenij dexteritate coluerunt, quam Pythagoras aut Dio-
phantes. Geometriam ita perdidicerunt, vt noui quidam Euclidae esse existima-
rentur, aut si qui alij ad ipsius similitudinem accedunt. In Musica tales extiterūt,
quales ex diuinis Carminibus & Hymnis ab ipsis conditis eos fuisse, apud pru-
dentes viros constat. De Astronomia denique, quantum ad interualla & figura-
rum compositiones, ac distantiarum proportiones attinet (etiamsi alioqui pau-
ca de iis rebus, vt exiguum aliquam imperitis cognitionem afferent, tractauerit)
cuiusmodi vir Ioannes fuerit, ex ipsis monumentis perspicere licet. Talis autem
prorsus Cosmas etiam erat. Verum de ipsis laudibus orationem ad alios remit-
to. Mihi enim nunc id duntaxat propositum est, vt Joannis laudes illustrem.
Huius porro, tum diuinarum rerum scientiam, tum dogmatum sinceritatem, quis
ex Elementario, vel, vt rectius loquar, in dogmatibus perfectissimo atque abso-
lutissimo ipsius libro, non agnoscat, & admiretur? quem quidem si quis omnis
rectæ doctrinæ legem, ac Mosaicas tabulas appellauerit, à vero minimè aberra-
rit. Quanquam illud minimè ignoro, me huiusc libri laudem non hoc loco te-
xere debuisse: verum hæc ea de causa cōmemoraui, vt quanam doctrinam eruditus
fit, demonstrarem, quoniamque pacto omne disciplinarum genus accuratissimè
perfectissimèque sit persecutus. Quodque admiratione dignu est, scientia ipsius
animum minimè inflauit. Quin potius, quæadmodum feraces arbores exuberanti
fructuum copia degrauatae, in terram propendente: eodem etiam modo insignis
ille Ioannes, cùm ipfi litterarum atque doctrinæ fructus amplificaretur, deorsum
propendebat, non ille quidem in terram, sed in profundissimum Philosophiæ pe-
lagus intuens. Etenim cùm quadā animi in mundum propensione, non secus at-
que cum natigio aliquo, adhuc ipse innatabat. Cupiebat autem hanc quoq; mun-
di nauē abiucere, corporeaq; affectionis vestes omnino exuere, siveque nuda mete
in pelagus se coniicere, atque usque in fundum ipsum penetrare, vt ingentis pre-
tij margaritum illic reconditum inueniret. Hac igitur cupiditate flagrans, atque
huc spectans, ad imum usque gurgitem se demittebat, nec eruditionis nomine tu-
morem ullum contahebat, verum per arcana sapientiæ amorē sese deprimebat.
Ad hunc itaque modum spiritualis animæ ipsius lampas mundano oleo referita
erat: quò nimirū sapientiæ quoque ab omni materia remotæ lumen, cœlitus in
hanc

*Ioannis
Damasceni
in percipi-
e discipli-
ni ingenij
felicitas.*

** Addenda
particula
negativa
est, in
Greco.
Damasceni
humilitas.*

V I T A.

A hanc lampadem delapsum , ipsam accenderet , aquae ratione ipse clarus ac flammeus efficeretur. Postea autem ipsius magister, à discipulo , vñ credibile est , in hunc amorem inductus , ad pueri patrem accedit , aitque: En quod cupiebas , plenè consecutus es. Pueri enim eruditione me antecellunt. Neque ~~in~~ fatis ipsi fuit flagitium suum aquasse: verum ingenij magnitudine improbisque laboribus , que etiam fortasse Deo sapientiae donum ipsis adargente , ad Philosophia fastigium altius , quam ego , euecti sunt. Quocirca cum nulli iam ipsis deinceps vñfui esse queam , superest ut mihi , pro eo atque cupiditati tuae satisfeci , mercedem persoluas , hoc est , vt per te mihi in monachorum cœnobium abire , atque illuc superemam sapientiam scite inuestigare liceat. Nam Philosophia ea , cui prius operam dedi , ad illam me transmittit , satiusque ac præstantius est me duplici bono locupletari , atque ad priorem sapientiam , eam etiam , quæ ab omni materia purissima est , omnemque cogitationem superat , quamq; nuda mens atque à corpore prorsus abstracta discere potest , adiungere. Hanc Philosophi orationem molestè quidē tulit Ioannis pater : cæterum eum retinere minimè poterat , ne alioqui madam pro eo atque filium erudierat , mercedem ipsi pendere videretur. Itaque amplissimo viatico instructum in pace dimisit. Ille autem ad Lauram , quæ in sancti Sabæ solitudine sita est , profectus , illucque ad extremum vñque diem commoratus , ad ipsammet sapientiam , hoc est ad Deum , migravit. Simul etiam è viuis excessit Ioannis pater. At verò Saracenorum princeps Ioannem accersens , eum principi consiliarij dignitate coornauit. Recusabat autem ille , vt cuius cupiditas a liō tenderet. Verum ita tandem coactus est , vt iam repugnare non posset. Itaque in maiore , quam ipsius pater , dignitatis gradu constitutus est. Tum autem Leo Leoni Ico nomachi fur. Psal. 21. Isauricus Romanum imperium gubernabat , qui aduersus venerandas Imagines , ac rectè de religione sentientem Ecclesiæ cœtum , erat tanquam leo rapiens & rugiens. Nam & illas belluinae insanæ igne comburebat , & earum adoratores rapiebat , ac delebat , tyrannicæque impietatis dentibus miserum in modum lanibat. Quæ postquam ad Ioannis aures peruenierunt , Eliæ zelum , atque cognomini sui Baptista reprehēdendi libertatem imitatur , eum videlicet , etiam ante vñctionem inuisibiliter vngente Spiritu. Ac verbum Dei , velut Spiritus gladium incidenti facultate præditum , ad ferinæ illius mentis dogma , tanquam caput , amputandum obiicit. Ad orthodoxos itaque , quibus notus erat , pro venerandarum Imaginum honore libellos epistolaes mittebat , quibus illud eruditissimè demostribat , diuinarum Imaginum adorationem necessariam esse : ipsosque hortabatur , vt aliis eadem commemorarent , suisque Epistolas omnibus ostenderent. Atque omni ratione ac studio nouis ille veritatis pugil in id incumbebat , vt Epistolæ sue velut per orbem quendam è piorum manibus ad piorum manus transirent , sicque recta doctrina confirmaretur. Ac Pauli instar omnem contentionem Rom. 5. adhibebat , vt si non pedibus , at certè per Epistolas terrā vniuersam veritatis prædicatione in orbem completeretur. Quod ybi ab Imperatore Leone compere Leonis frans.

B tum est , accersitis nonnullis , qui eadem cum ipso de religione sentiebant (siquidem indignissimè ferebat impietatem suam Ioannis Epistolis traduci , aperteque perulgari) negotium ipsis dedit , vt imposita sibi pietatis larua , omni studio atque conatu id agerent , vt per colloquij speciem Epistolam quandam Ioannis manus scriptam nanciserentur. Quamobrem vitij propugnatores nullum , vt dici solet , funem mouere , fraudemque tegerè , atque id quod ipsis imperatum fuerat , inuestigare desiterunt , quoad inuentam Epistolam Imperatori trādidissent. Ille autem accitis quibusdam notariis suis , Epistolarum Ioannis exemplar ad imitandum ipsis proposuit , in hoc nimis rūm , vt & scripturae notas , & ipsius sententias ac verba exprimerent. Cum igitur multos , qui ad eam rem ipsi operam nauarent , inuenisset , tum denique iussit , vt Epistolam tanquam ex Ioannis persona ad ipsum impium Imperatorem scriptam exararent , cuius hæc sententia esset. Salve Imperator. Maiestati tuae hoc nomine gratulor , quod eandem nobiscum fidem tenes:

† †

D. IOANN. DAMASCENI

tuaeque imperatoria praecellentia cultum ac venerationem, quam debo, tribuo. F
Eaque de causa illud tibi significo, urbem hanc nostram negligenter omnino cu-
stodiri: atque Argarenorum praesidium, quod hic est, exiguum & infirmum esse.

Q[uo]d care per [redacted] ut huius ciuitatis miseratione afficiaris: atque ingenti
strenua manu prae omni expectationem missa, que alio sepe proficii si-
mulet, urbem sine ullo labore obtinebis. Ad id enim ipse quoque non medio-
crem opem tibi afferam, quandoquidem & vrbs, & segio vniuersa, in mea penè
potestate est. Hac Epistola conscripta, ex eadem animi peruersitate impius ille alteram ad Damascenorum Saracenorum principem Epistolam conficit, hoc ex-
emplo. Nihil sanè pace beatius atque amicitia fortunatus esse censeo. Ac præterea
pacis foedera seruare laudabile ac Deo gratum est. Proinde nihil antiquius duco, G
quam amicitia foedus, quod tecum sanxi, firmum atque inviolatum conseruare.
Quanquam ad illud clam infringendum, ac versutè violandū à Christiano quodam,
qui sub tua ditione atque imperio est, crebris ipsis litteris incitor: quibus illud certò confirmat, se mihi ad urbem tuam in meam potestatem redigendam in-
gentem opem allaturum esse, si ingétem exercitum eò misero. Vnde etiam vnam
ex ipsis ad me missis Epistolis ad te remisi, vt iis, quæ ad te scribo, fidem conciliem,
atque intelligas, quam in tuendis amicitiis vesse ac sincerae fidei sim, simul
etiam eius, qui ad me hæc scribere ausus est, improbitatem ac fraudem perspectā
habeas. Ambas itaque has litteras ille, vt nomine Leo, ita serpentina versutia præ-
ditus, per quandam ex suis ad Barbarum misit. Ille autem his acceptis, Ioannem
accerit, ac fraudulentam illam Epistolam ipsi ostendit. Qua perfecta Ioannes lit- H

terarum quidem formas suis similes esse confessus est: se autem, ea quæ ipsis con-

tinarentur, prorsus ignorare, nec vñquam sibi huiusmodi quicquam in mentem
venisse. Nec verò, cum Epistolam eam legisset, eum fugit, quonam dolo quib[us] que
insidiis hæc aduersum se comparata essent. Verùm ille Christi inimicus prin-
ceps ad ea, quæ à Ioanne dicebantur, perinde erat atque asinus lyram audiens, ve- I

lut est in proverbio: atque à bonis quidem & cum veritate coniunctis verbis ob-
mutuit, at non ita obticuit, quin iniquum facinus imperaret. Nam nulla mora in-
terposita dextram Ioanni manum amputari iubet. Cùmque ille ab eo precibus

peteret, vt purgandi sui causa, atque vt impij Imperatoris in se furorem exponeret,
breue quoddam temporis spatium sibi concederetur, à Barbaro tamen, vt cui

furor mentem omnino ademisset, id imperare non potuit. Itaque dextra ea, quæ
scriptis suis virtutem orthodoxis in Deo fecerat, excisa est. Dextra, inquit, ea ex-
cisa est, quæ homines Domini odio percitos refutabat: atque pro atramento, quo,

cùm Imaginum adorationē litteris mandaret, prius tingi solebat, suo cruore perfunditur. Deinde excisa hæc manus à Domino, vt sic loquar, in foro suspesa est.

Cùm autem aduerserasset, ac Ioannes tyranni indignationem sedatam atque cō-
pressam esse coniiceret, legationem ad eum misit, supplex rogans & obsecrans, at-
que huiusmodi verbis vtes: Dolor mihi ingraescit, meque intolerandum quen-

dam in modum excruciat: neque acerbatis aculeo leuari possum, quandiu præ-
cisa mihi manus in aere pendet. Hanc igitur, quæso, mihi donari iubeas; vt ea hu- K

mo condita doloris acrimonia relaxetur. His precibus statim cessit tyranus, redi-
ditaque est iusto viro manus. Qua accepta ille in oratorium, quod domi habe-
bat, ingreditur, pronōque omnino corpore ante diuinam Imaginem, quæ Dei

genitricis effigiem gerebat, prouolutus, excisamque manum pristina suæ com-
missuræ admouens, intimo pectore ingemiscit, ac cum lachrimis exclamans, il-

lam ad misericordiam propensissimam hunc in modū obsecrare coepit: Domina
& castissima mater, quæ Deum meum peperisti, diuinarum Imaginum causa dex-
tra mihi manus amputata est. Neque enim te fugit, quid Leonem in furorē con-
iecerit. Quare quamcelerrimè accurre, ac manu meæ medicinam adhibe. Dexte-
ra excelsi, quæ ex te incarnata est, per tuam intercessionem virtutes multas efficit.

Tuo itaque rogatu meam quoque dextrā obsecro sanet: vt tuas, quemadmodum

Damase-
ni ad Dei
matrem or-
ratio.

concesseris, filiique ex te incarnati laudes moeulato concentu, ô Dei genitrix,
 litteris confignet, atque orthodoxo cultui aditum sit. Potes enim quicquid
 lubet, ut Dei mater. Hæc Ioannes cum lachrimis dicens obdormiuit. Atque in
 formis sanctæ Dei genitricis imaginem videt, placidis & latuis oculis ipsum
 tuentem, ac dicentem. Ecce, sanitati restituta est manus tua. Iam ergo sine ulla cun-
 statione, quemadmodum nunc pollicitus es, eam scriba velociter scribentis ca-
 lamum effice. Experrectus igitur ille qui sanatus fuerat, cum excisam manum cō-
 templaretur, eamque sanatam confexisset, spiritu exultauit in Deo salutari suo,
 atque ipsius matre, quoniam fecit ipsi magna qui potens est: pedibusque stans,
 manus in altum extulit, carmenque, quod tempori maximè conueniret, cecinit,
 totaq; nocte vna cum vniuersa familia latabantur, ad grati an̄imi significationem
 canticum nouum Deo cantans, ac dicens: Duxera tua, Domine, magnificata est *Exod. 15.*
 in fortitudine, dextera tua manum meam amputatam sanauit, ac per eam hostes,
 qui venerandam tuam ac genitricis tuæ imaginem honore minimè prosequun-
 tur, consindet: atque in multitudine gloriae tuæ aduersarios, Imaginum infracto-
 res, per manum meam confringet. Erat itaque illi nox ea dies, & non nox: ac lu-
 men, & non tenebrae (libet enim hoc loco Prophetæ vocem cum aliqua immu-
 tatione usurpare.) Erat illuc vox pura epulantium, & sonus exultationis in iusti *Psal. 41.*
 viri tabernaculo. Hæc porrò non occulte ac silentio peragebantur, verum admi-
 randus ille sonus atque concinna illa iubilatio ad vicinos, & eos, qui in orbem
 habitabant, se diffundebat. Ex quo factum est, ut confessim quidam ex Chri-
 sti inimicis Saracenis principem suum adirent, Ioanni dextram minimè abscri-
 sam esse affirmantes, verum alij cuiquam, seruo puta, aut alioqui ipsi ministranti,
 qui benevolentia erga eum ductus seipsum dominii loco huic suppicio expo-
 suisset: eos autem, quibus huiusmodi execratio imperata fuisset, pecuniis corruptos
 pœnam in alium transtulisse. En enim, inquietabant, Ioannes domi desidens canit,
 ac perinde oblectatur, ac si nuptiale festum celebraret, epithalamiumq; aliquem
 cantum ederet. Imò & eiusmodi lætitiam ipsius exultatio superat. Hoc iunctio al-
 lato statim Ioannes accersitur: ac cum venisset, exactam dextram ostendere iube-
 tur. Qua demonstrata, certo Dei matris consilio ac prouidentia, linea quedam in
 ea elucebat, verissimam excisionem esse ostendens. Tum igitur ex eo Barbarus
 quæsitus, quænam medicus ipsum in sanitatem asseruerisset, ac quænam medicamen-
 ta imposuerisset. Ille autem clara & ingenti voce miraculum prædicat. Dominus
 meus, inquit, omnipotens medicus, cuius vis ac potentia orationem pari pede co-
 mitatur, in sanitatem me vindicauit. Ad hæc Barbarus: Quantum conjectura af-
 sequor, ô homo, id quod passus es, infons passus es. Ac velim illud nobis igno-
 scas, quod præcipiti atque inconsiderata sententia supplicium tibi intulimus. Tu
 verò pristinum munus administrabis, principemque inter consiliarios nostros
 locum obtinebis. Neque enim posthac, nisi de tuo consilio ac sententia quicquā
 facturi sumus. Ille autem humi prostratus adorauit: pronusque iacens eum perdiu-
 rogauit, ut id sibi remitteret, aliamque viam multò iucundiorē & optabiliorē
 rem ingredi permetteret, eiisque, qui ait, Ego sum via, vestigiis hærere. At Barba- *Ian. 14.*
 rus hanc ei potestatem minimè faciebat. Eratque cernere, tanquam gladiatores
 quosdam, Barbarum & virum iustum, inter se pugnantes. Ille enim multis mun-
 di vinculis Ioannem coercere cotendebat: hic contrà magnam vim ac summum
 studium adhibebat, ut ea perrumporet, atque angelicis pénis in sublimi volaret.
 Ingensque tum stadium apertum erat, certaminis arbitro Christo presidente, spe-
 catoribusque angelis. Quin illud quoque fortasse, nec id immerito, dixerit quis-
 piam, quod improbi spiritus à sinistro latere animum Barbaro addebat, atque
 ad illicendum Ioannis animum cum acuebant. At verò luculento tandem cum
 præconio vincit gladiator meus, omnésque aduersarij illecebras tanquam paruulo- *Psal. 63.*
 rum sagittas dicit, victorque discedit, illustri vitta caput redimitus: domumque
 lato atque hilari vultu ingreditur, qui prius modestus ac tristis excesserat. Cumque

D. IOANN. DAMASCENI.

tuis medicamentum mihi admoferes , atque ego grauiter vexarer, ac forte etiam morerer, an non huinsce contéptionis atque incuriae poenas Deo penderes? Cùm igit̄ nunc grauiore morbo laborantē despicias, quid afferre potes, quin grauiores poenas tis daturus? Quòd si senis præceptū extimescis, hoc scito, me rem istā ita arcana habiturū, vt à nullo exaudiatur. Hac oratione permotus Ioānes, modulatum carmen, ob eum qui mortem obierat, ipsi conficit, quod etigm ad hunc usque diem omniū cantu celebratur, nimis illud quod incipit, *Vanitas omnia humana*. A berat autem tunc temporis à cella Ioannis præceptor: ipse autem intra cellam prædictū carmen concinnè cantillabat. Senex itaque, cùm foris adhuc esset, modulatum illum sōliū audit, atque cum ingenti iracundia ad Ioannē ait, Sic sine veterum tuarū pollicitationū obliuione captus es, ac pro eo atque in luctu & mœstitia versari deliberas, diffusus gaudio sedes, deliciásque ex cantu captas? Cùmque ille seni causam exposuisset, eiūsque, à quo sibi vis illata fuerat, luctum, excusandi sui causa obtendisset, humilique prostratus veniam postularet, senex tamē lapidis, aut etiam in cūdis in modum stabat, ipsius precibus nullo modo cedens: cùmque statim è cella eiecit. Admirandus autem ille vir, primorū parentum inobedientiam, ob quam è paradise exturbati fuerant, in memoriam statim reuocauit, nec quid faceret, aut quòd se verteret, habebat: grauiorique luctu, quā is qui fratrem amiserat, premebat, secum videlicet hæc dicens. Ille quidem fratre amisit, ego autem per inobedientiam animā meam perdidi. Tandem autem ad alios senes, quos reliquis virtute superiores esse norat, accedit, deprecatorēsq; ad infelitatem illius animū adhibet, eūmque rogandum & obsecrandum, vt se facilem ac placidum Ioanni præberet, ipsiisque admissam culpā condonaret. Abierunt igit̄ illi, eūmque obsecrarunt. At ille nihil magis eorum precibus, quām statua, mouebatur, nec ingressum in cellam discipulo concedebat. Cūmque quispiam ex illis monachis dixisset, Licet tibi mandatum aliud ei, qui peccauit, dare, nec eum à tuo contubernio remouere, tum ille qui rogabatur, his verbis usus est: Hoc mandatum Ioanni, siquidem inobedientiæ veniam sibi dari cupit, cōstituo, vt Lauræ ambitum peragret, ac suapte manu monasticarū cellararum sordes atque excrementa purget. Hæc vt illi audierunt, ex huiusmodi sermone pudore suffusi ac tristes recesserunt, senis illius rigiditatem ac duritiam ad stuporem usque mirantes. Quibus cùm Ioannes occurrisset, ac pro suo more ante eos sese incurvasset, quānam patris de se sententia esset, ex ipsis sciscitabatur. Illi autem tantam senis acerbitatē esse respondebant, vt ea ipsis stuporem commoueret, séque, ne ipsius sententiam exponeret, pudore quodam prohiberi. Ille autem etiam atque etiam ab his petebat, vt eam aperirent. Cuius precibus commoti, turpem illam repurgationem commemorant. Qua audita, præter omnem eorum expectationem maximopere delectatus est, si bique hoc factu facile ac perquam iucundum esse asseruit. Confestim itaque conquisitus instrumentis ad repurgandas fæces accommodatis, iisque in manus assumptis, ad illius cellam, cui seni vicinus erat, accedit, eāmque ingressus, manus eas, quas prius multis suauibus vnguentis perfuderat, contaminare cœpit, dextramque illam à Deo curatam (δ singularem viri humilitatem!) cœno ac stercore conspergit. At senex comperta Ioannis ingenti obsequendi promptitudine, magnæque illius ac minimè fictæ humilitatis profunditate, vel, vt rectius loquar, altitudine, accurrens ipsum amplexus est, atque de ipsis cord pendens, manusque & oculos atque humeros exosculans, ait, O quantum beatæ obédientiæ pugilem in Christo genui! Ioannes autem ex senis verbis maiori rubore afficiebatur, pronūisque cadebat, paumentūque, non secus ac si ad Dei pedes sese abiiceret, lachrimis rigabat. Non enim paternis sermonibus inflabatur, nec ad senis encomia intumescebat, verū amplius deprimebatur, ipsiisque animus quām maximè conterebatur. Ad hunc enim modum prudentes atque cordati viri, cùm laudibus efferuntur, sese deprimunt, ac dolore stranguntur, sicque ad Deum assurgunt. Post hæc pater filium erigit, arreptaque

*Prudentes
virū laudes
suis gra-
uijime fe-
runt.*

A ipsius manu in cellam suā latus ingreditur. Diceret profectō, si Ioannem vidif-
ses, eū tunc in Paradisum, qui in Edem situs erat, velut postliminio reduci, eum
que, cūm veterem Adamum per inobedientiam prius expressisset, nouum Chri-
stum rursum in seipso per summam illam obedientiā referre. Non multum te-
pus intercessit, cūm seni in somnis illa omnium laude celebratissima & purissima
Virgo appareret, aitque ad eum: Ecquid fontem eum obstruxisti, qui tam suauem,
tāmque limpīdū ac copiosum & nectareum laticem profundere potest? aquam
refectionis animarum? aquam, ea quā nouo atque inusitato modo in deserto ē *Psal. 22.*
petra fluxit, præstantiorem? aquam, cuius bibendā desiderio David affectus est? *Exod. 17.*
aquam, quam Christus Samaritanæ pollicitus est? Fontem fluere sine. Fluet enim *Ioan. 4.*

B vberime: atque vniuersum terrarum orbem peragrabit, hæresumque maria ope-
riet, cāque in admirandam dulcedinem conuertet. Sitientes ad aquam summa *Esa. 55.*
contentione veniant: & qui puræ vitæ argento carent, vitiosis affectionibus suis
venditis, omnem, tum in dogmatibus, tum in operibus, sincerā puritatem à Ioā-
ne mercentur. Hic propheticam citharam, ac Dauidicum illud psalterium acci-
piet, atque cantica noua cantabit, cantica Domino Deo: ac Mosis canticum mu-
ficiis suis modis, & Mariæ tripludum superabit: atque inviles Orphei cantus præ *Psal. 39.*
spirituali ac cœlesti cantu mere fabulæ esse comperientur. Hic Cherubicos hym-
nos canet atque imitabitur, omnēsque Ecclesiæ, hoc est filias Hierusalem, ado-
lescentulas tympanistras efficiet, canticum nouum (quo Christi mors & resur- *Psal. 67.*
rectio annuncietur) Deo cantantes. Hic fidei dogmata recte tradet, omnisque
hæresis peruersitatem & obliquitatem infamia sempernotabat. Cor eius bo- *Psal. 44.*
na verba eructabit, regisque admiranda opera proloquetur. Manè itaque is qui
hoc arcanum acceperat, Ioannem accerit, ad eumque his verbis vtitur: O fili
obedientiæ Christi, os tuum aperi, vt spiritum attrahas. Imò, vt rectius loquar, *Psal. 118.*
quod iam pectori accepisti, per os eructa. Os enim tuum loquetur sapientiam: *Psal. 48.*
quoniam ingentem prudentiæ meditationem corde perceperisti. Aperi os tuum *Psal. 77.*
non in parabolis, sed in veris sermonibus: non in anigmatis, sed in dogmatibus.
Loquere ad cor Hierusalem Deum cernentis, hoc est pacatæ ipsius Ecclesiæ, non *Esa. 40.*

C temerè atque in aërem fluentes sermones, verū quos spiritus in tuo corde per-
scripsit. Ascende in montem Sina, hoc est visionum ac reuelationum Dei. Ac
pro eo quod usque ad ingentis humilitatis abyssum te deieicisti, nunc vicissim in
D Ecclesiæ montem ascende, ac prædicta, faustum vrbi Hierusalem nuncium affe-
rens. In fortitudine exalta vocem tuam. Gloriosa enim mihi de te à Dei geni- *Psal. 85.*
trice dicta sunt. Mihi autem illud ignoscas velim, quod pro mea rusticitate tibi
impedimento fuerim. Ab eo itaque tempore Iohannes diuinos cantus auspicatus, *Iohannes Da-*
dulcissima ea carmina cecinit, quæ Ecclesiæ latitia perfuderunt, eāmq; locum *mæstori mo-*
tabernaculi Dei reddiderunt, in qua purus sonus latantium auditur. Nec verò *numenta.*
hæc tantum edidit, verùm etiam Orationes in latiora festa emisit, ac librum sa-
crum, atque, vt ita loquar, diuinitū exsculptam tabulam excudit, quæ quidem
omnibus tam doctis, quām indoctis, non mediocrem consolationem affert. Ac
præterea in Theologia, aliorūque veræ fidei dogmatum, compendiosæ que-

E rerum earum, quæ vel intellectu vel sensibus percipiuntur, contemplationis ac
scientiæ mysteria. Isagogen velut ianuam quandam edidit. Quam quidem ego
cœlū appellare minimè dubitem, ut potè quæ rectis, ac naturalibus, & à Scriptu-
ra petitis, ac cum summa doctrina coniunctis argumentis, non secus ac sideribus,
eluceat. Et quidem is, qui in hoc cœlum oculos minimè coniicit, nec ipsius pul-
chritudinem pro deliciis habet, eo quæ lumine, quod hinc manat, perfuit, aut
cæcus est, aut tenebris circunfusus: miserūque eum dixerim, qui ad diuinum
hunc splendorem cæcutit. Adhuc autem amplissimos libros de diuinarum ac ve-
nerandarum Imaginum adoratione contexuit. Quo enim diuinæ Imaginis pul-
chritudinē in seipso iam inde ab initio præstantius impresserat, eo quoque subli-
mius ac splendidius de venerandarum Imaginum honore conscripsit. Ad huius

D. IOANN. DAMASCENI

modi porrò labores hortatorem & extimulatorem Cosmam habebat, quem etiam F in spiritu diuino fratrem habuerat, quique ipsi & litterarum, & educationis, ac religiose exercitationis socius exitit. Qui etiam ipse spiritualibus condendorum

Psal. 27. terminum laboribus Ioannem scite & eruditè imitatus est, atque concinnos can-

Psal. 91. tus in cithara & voce psalmi Ecclesiæ cecinit, ut qui corpus suum per vitiosarum affectionum oppressionem tympani instar Deo exhibueret, seque totum velut

nouum quoddam decachordum psalterium reddidisset, quinque nimirum cor-

poris sensibus, totidemque animæ facultatibus singulari arte ac sapientia conten-

tis. Eni quod à Hierosolymitano Patriarcha Maium episcopus

creatur, non vltro ac sponte, sed vi adactus, atque obtemperans. Qui cum gre-

gem suum præclarus, atque vt Deo gratum erat, rexisset, in senectute bona vita G

functus, ad patres suos abscessit, vel potius ad Deum excessit. Ioannem autem idem

Ecclesiæ Hierosolymitanæ gubernator diuinitus accersitus, ut in cathedra senio-

rum Deum laudaret, Presbyterum ordinavit. At ille ad diuini viri Sabæ Lauram

rursum reuersus, ac domunculam, tanquam nidulum quendam sublimè volans

aquila, ingressus, illud Salomonis præceptum, quod dupli honoris Presbytero

affici iubet, haudquaque in mentem suam iniecit, sed velut hoc dictum cōmu-

tans, illud secum verbat, Presbyteris dupli humilitati studendum esse: Presby-

teros religiose vitæ exercitationem duplo quam prius maiorem sibi vendicare:

Presbyteros duplia certamina perferre, non modò aduersus corporis vitia, sed

etiam aduersus turbulentos & occultos animi motus, qui quidem monachos, nisi

vigilantem animum præbeant, perspè fugiunt: sic nempe vt internus corū ho-

mo contaminetur, nec tamen id persentificant. Quo quidem in genere sunt, dolus,

liuor, falsa de se opinio, occulta arrogantia, inanis gloria studium in humilitatis

habitu, alienarum rerū curiosa perscrutatio (ad quam plurimæ lingue vitia refe-

runtur) animi distractio & euagatio, morū vafricies, fastus ob corporis afflictio-

nē, continentia cum deliciis cōiuncta, propriæ voluntatis amplexus, præposterioris

nullius momēti opum amor, amictus a cōstitutis legibus alienus, ex quo quispiā

hoc contrahit, vt à reliquis fratribus dissideat, atque occulta superbiæ illecebra

oriatur. Hæc Ioannes radicitus ex animo suo euellere contendens, labores labo-

ribus, ac præsertim spiritualibus cumulabat, mentēque omni ex parte contracta,

libros eos, quos prius elaborauerat, in vnum collectos expendebat, summa cura I

& diligentia, tum verba, tum sententias, tum numeros, tum constructionē exor-

nans, expoliens, emendans, atque, vbi pulchritudo flosculis redundabat, ac mo-

dum excedebat, eam per temperantiam ad grauitatem reducens: quod nimirum

ipsius sermones, nec ostentationis, nec vitij aliquid secum trahent. Sanè quis-

quis in huiusmodi ipsius lucubrationes cum iudicio incubuerit, speculationum

altitudinem, ac dictionis elegantiam cum grauitate coniunctam facile perspiciet.

Iam verò ipsius pro pietate zelum quis non ex ipsius monumentis cōtemplabitur, quoniamque pæcto sapientia diuitias cunctis distribuerit? Ex quo doctrinæ

talentum, quod acceperat, non dicam in duplum, sed in decuplum amplificauit.

Numerum enim augere supersedeo, ne Euangelicos terminos exceedere videar. K

Neque enim honestum est temerè aliquid atque immodicè proloqui. Ipsum au-

tē cō etiā diuinus zelus impulit, vt supra leges diuinæ pugnans, è Damasco prius,

ac postea è Palæstina, eos, qui diuinæ Imagines in vrbe Cōstantinopolitana cuer-

tebant, concūmeliisque afficiebant, impeteret. Quo quidem nomine ille quoque

magnæ verbis alumnus, qui idem cum primo martyre nomē habebat, faxisque, vt

ille pro Christo, sic pro ipsius Imagine, obrutus in cœlū ascendit, sermonū Ioani-

nis, dimicationūq; aduersus impios mentionem facit, diuinum virum ac diu-

nitus afflatum eū appellans. Quamuis autem ficeret oleo delibutus non fuerit,

tamen, nisi veritatem inficiari velis, eum martyrij quoque corona cinctū esse per-

spicies. Nam ob pietatis zelum calunia ea pio viro conflata est, ex qua ei manus

defecta est. Cū igitur ad hunc modū vixisset, atq; ita religiose vitæ curriculum

confe-

Luc. 19.

Stephani
iuniorē in-
teligit, cu-
ius vitam
post libros
de Imagin-
nibus colo-
cauimus.

Per sacer-
dotiū, epi-
scopatum
intelligit.

2. Tim. 4.

V I T A.

A confecisset, ac fidem seruasset, vel, ut rectius loquar, eam & sermonibus propagasset, & dogmatibus condecorasset, atque ad hoc usque tempus, per ea quae ab ipso elaborata sunt, confirmet, tueatur, atque conseruet, ad Christum; cuius perpetuus amor eum tenuit, ascendit. Ac nunc, non iam in imaginis ~~figuram nec in effigie~~ adorat, verum reuelata facie coram obtinetur, beatæ Trinitatis gloriam per ^{2 Cor. 3.} spiciens. Ob hæc nimirum athletam, monachum, Ecclesiæ ornatum, veritatis ducem, certatorem, religiosæ vitæ cultorem, dogmatum peritum, insipientes sapientia instruentem, prophanorum institutorem, pro virum nostrorum modulo à nobis laudari ac prædicari oportebat: non ut hac ratione vel tantillū gloriae ipsi compararemus, verum ut ipse vicissim pro nobis in coelis sit memor, cœlestique illa gloria, etiamnum in terris agentes, impleamur, illa inquam gloria, quam David regis filia, hoc est regiae animæ, internè insidere testatur, his verbis ^{Psal. 44.} vtens, Omnia gloria filia regis abintus. Mihi autem, ô beatissime vir, ignosce, meoque nomine feruentissime ac firmissime Deum ora & obsecra, quod præclaram hæc velut collectam, quam alius, ut potuit, rudiùs aliquantò atque inculti fecerat, ego, qui eodem tecum nomine appellor, lingua & litteris Arabicis conscriptam nactus, tui amore ac desiderio impulsus, quam accuratissime à me fieri potuit, per tuas visitatio[n]es, aut, si ita loquendū est, per tua mandata, in hunc sermonem conuersti. Ac me (adhuc licet in corpore degam) Trinitatis adoratrem materia expertem ac spiritualem effice, totum à corpore excedentem, totum per contemplationē hinc peregrinantem, totum per diuini amoris ardorem holocausti instar consecratum: ut turbidis animi mortibus vacuus ē carne excedens, fidenti animo tibi Deo meo astem. Cui gloria in secula seculorum, Amen.

Ex Suida.

IOANNES Damascenus, cognomento Mansur, vir fuit eloquentissimus, nec ulli eorum, qui ipsius tempestate doctrinæ laude claruerunt, secundus. Opera ipsius perquam multa, & in primis erudita, tum in diuinam Scripturam Parallelorum collectanea, tum Musici canones, partim Iambico carmine conditi, partim oratione soluta. Floruit autem vñā cum eo Cosmas Hierosolymitanus, vir elegatissimo ingenio, Musicamq[ue] spirans prorsus concinnā ac modulatam. Certè Musici canones Ioannis & Cosmæ nullam adhuc comparationem admiserunt, nec, quandiu hic mundus durabit, admittent.

Quo tempore vixerit Damascenus.

VOLATERRANVS, Vincentius Valuacensis, ac Diuus Antoninus, Damascenum sub Theodosio seniore floruisse tradunt. Quod quidem non modò Ioannis Hierosolymitani, sed ipsius quoque Damasceni testimonio refutatur. Petri enim Cnaphei meminit lib. 3. de Orth. fide cap. 10. & in lib. de Trisagio: qui in quinta Synodo sub Iustiniano damnatus est. Quarto etiam libro cap. 17. aduersus Iconomachos disputat. Et in lib. de hæres. Monothelitarū authores profert Cyrum, Sergium, & Eustathium, qui in sexta Synodo condemnati sunt. Ex quo etiā apparet, Trithemium quoque falli, qui duos Damascenos fuisse scribit, alterum nempè sub Theodosio, qui libros de Theologia composuerit, alterum sub Leone, qui pro Imaginibus disputerat. Liquet enim ex locis superius à nobis allatis, eum, qui de Orthodoxa fide libros edidit, non alium esse, quam eum, qui pro Imaginibus dimicauit. Cerrissimum est itaque Damascenum sub Leone Imaginum hoste floruisse,